

vitiati humores, ita ex sapore ipsi distingui possunt, sed ij potissimum, qui sunt in ventriculo. Quare qui amarus percipitur, is bilem significat, in ventriculo genitam, vel aliunde: illuc affusam: Qui verò falsus pituitam falsam: qui acidus acidam humorem: qui quoq; dulcis dulcem: qui item insipidus insipidam, & aqueam pituitam: qui deinceps foetidus humoris putredinem indicat.

*¶ Quas sedes affectas, & quos affectus odor significat.*

### C A P. X I.

**O**Dor siue suavis, siue grauis sit, aut à toto corpore, aut aliqua eius parte, aut denique ab eorum excrementis manat. At qui foetet, vnde cūque proueniat, semper aut humorum corruptionem, aut excrementum aliquod indicat. Idcirco si à sudore manat, qui à toto corpore erumpit, ibi humorum corruptionem significat. Si verò ab alijs, aut pedibus prouenit, in eis humores putrere declarat. Foetent etiam ea membra, quorum caro iam mortua est, & corrupta. Ulcera quoque phagedenica, ozenæ, & sphaceli foetent, quia putria sunt. Odor autem foetens, qui nulla externarum partium manat, quandam earum, quæ internæ sunt, malè habere significat.